



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. De censuris in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

ficienti non possit intelligere veritatem, probabile est posse cum ea contrahere sine dispensatione, (nisi tamen præsumptio aliqua stet pro impedimento) quia possessio stat pro libertate contrahendi, *Sanch. Sancius, Franc. Lugo, Bard. d. 6. c. 11. p. 7. §. 11. contra Laym. & Palaum.*

LIBER VII,

De Censuris Ecclesiasticis, & Irregularitatibus.

CAPUT I.

De Censuris in genere.

DUBIUM I.

Quid Censura Ecclesiastica?

RESP. Est pœna spiritualis & medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti, ac contumaci, per potentiam Ecclesiasticam auferatur usus quorundam bonorum spiritualium, *Laym. l. 1. c. 5. p. 1. c. 1. Unde resolves.*

I. Per censuram non privatur homo bonis mœrè internis, v. g. caractere, potestate ordinis: nec bonis propriis, ac privatis, v. g. fide, charitate, gratia, &c. sed quibusdam externis & publicis, si-ve actionibus, quæ habent spiritualement aliquem effectum, vel commodum, ut sunt sacrificium, officium divinum, beneficium administratio & su-

& susceptio sacramentorum, indulgentia, publica
Ecclesie suffragia: quia hæc, & non illa subsunt
dispositioni Ecclesie Unde si interdum privetur
bono aliquo temporali, v.g. convictu humano
per excommunicationem, id tantum fit secun-
dario.

II. Exilium, carcer, servitus, privatio beneficii,
nisi adjunctam habeant suspensionem aliquam
spiritualium actionum, non sunt censuræ, quia
sunt pœnæ temporales,

III. Nec degradatio, vel depositio est censura,
quia etsi sit pœna spiritualis, non tamen medici-
nalis, sed perpetua, & ob peccatum præteritum,
etiam emendatum potest infligi.

IV. Nec cessatio à divinis: quia non imponi-
tur per modum medicinæ, ad tollendam contu-
maciam, sed ad propulsandam injuriam Eccle-
siae factam.

V. Nec irregularitas, siue sit ex defectu, quia
hæc non est pœnalis, sed tantum impedimen-
tum Canonicum, siue sit ex delicto, quia hæc non
irrogatur per modum pœnæ medicinalis, sed puni-
tivæ, & ex se perpetuæ. Unde nec tollitur per ab-
solutionem, sicut censura, sed per dispensatio-
nem. *Bon. d. 1. q. 1. p. 1.*

VI. Quando in Jubilæis, vel privilegiis, da-
tur potestas absolvendi à censuris, non com-
prehenditur irregularitas, nisi ex-
pressè addatur.